



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Petri Chrysologi Archiepiscopi Ravennatis, viri
eruditissimi atque sanctissimi, Sermones In Evangelia De
Dominicis & festis aliquot solemnioribus totius anni,
insignes & peruetusti**

Petrus <Chrysologus>

Lvgdvni, 1623

De consecratione diui Proiecti Episcopi Forocorneliensis, Sermo CLXV.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50232)

oculus non capit multa, non penetrat excelsa, longinqua non perspicit, atque ita videt nihil, qui videre existimat totum. Agnosce ergo diem salutis, tempus acceptum per Christum Iesum dominum nostrum, si vis à te. *Deest finis.*

*De consecratione diui Proiecti Episcopi Forocorneliensis,
Sermo C L XV.*

OMnibus quidem Ecclesiis venerationem debere me profiteor, & fidelissimam seruitutem: sed Corneliensi Ecclesiæ inseruire peculiarius ipsius nominis amore compellor. Cornelius namque memoriæ beatissimæ vita clarus, cunctis virtutum titulis vbique fulgens, operum magnitudine notus vniuersis, pater mihi fuit, ipse me per Euangelium genuit, ipse pius piissimè nutriuit, ipse sanctus sancta instituit seruitute, ipse Pontifex sacris obtulit & consecrauit altaribus: & ideo mihi clarum, colendum mirabile Cornelij nomen. Amor ergo cognominis me compellit, Corneliensis Ecclesiæ desiderijs desideranter occurrere, & Proiectum venerabilem virum amabilibus Pontificem consecrare. Proiectum dixi, sed non abiectum: iuxta illud: In te proiectus sum ex utero: de ventre matris meæ Deus meus es tu. Et verè iste Proiectus ex utero humanæ matris, matris diuinæ in utero iugiter mansit: qui domus suæ nescius, domus Dei esse perstitit habitator: qualiter autem fratres, cunabulis ab ipsis gradus Ecclesiasticæ militiæ conscenderit, & officia, quia dicere mihi longum est, sicut dicit dominus, ætatem habet: ipse pro se loquatur, per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum Spiritu sancto in sæcula sæculorum, Amen.

Psal. 21.

Iohan. 9.

De